

In Medicina easdem fere habent vires  
quas et alii. Tritos potosque ex aqua  
recentes seu cinere asservato, contra  
omnia venena prodesse, privatim contra  
Scorpionum iictus, cum lacte asinino-  
no, vel si non sit, caprino, vel quocun-  
*Plin. H. N.* que, Plinius author est; quod et apud  
*l. 32. c. 5.* Dioscoridem invenies. Ad viperae  
morsum bibuntur e vino per se, vel  
cum staphide agria, sale et polio, ut te-  
statur Aegineta. Cinis ustorum prodest  
pavore potus periclitantibus ex canis  
rabiosi morsibus. Aeschrion empiricus  
vivos in patella aeris rubri tam diu ure-  
bat, donec facile in laevorem redigi  
possent, luna decima octava, post ca-  
nis syderis exortum, cum sol leonem  
ingressus esset. Hujus pulverem tenuis-

simum cochlearii unius mensura ex  
aqua cyatho propinabat, cum recentior  
esset morsus; augebatur quantitas,  
si inveteraverat. Huic remedio tantam  
vim ineffe scribit Galenus, ut dicat nul-  
los periisse, quibus hoc in tempore  
datum esset. Id ex proprietate substan-  
tiae fieri idem credidit. Triti in oleo  
et aqua peruncti, ante accessiones in  
febris profunt, teste Plinio. Archi-  
*Plin. H. N.*  
*l. 32. c. 10.*  
genes apud Galenum ex canceris sic-  
cis tritis, pedibus et eminentiis am-  
putatis, drachma una, et asari drach-  
ma altera, cum aqua ex eodem flu-  
mine ex quo cancri sumta, medica-  
mentum aquas educens componit.  
Hippocrates in vino suffocatos in flu-  
xu uteri propinavit.

## ARTICVLVS IV.

*De Cancris in conchis degentibus.*

## PVNCTVM I.

*De Cancris parvis.*

TAB. VII. 3. *Draeter ea, quae hactenus retulimus*  
*5.* *I* crustata, sunt et alia, quae in alienis  
conchis, ut Mitulis, pinnis, peccinibus,  
ostreis, ac varii generis turbina-  
tis degunt, ut Cancelli, Cancri par-  
vi, Squili, et Scylari, figura non usque  
adeo a predictis diversa.

*Descriptio.* *Cancer parvus*, qui pinnis innascitur, πιννοφύλαξ, quasi ὁ τῆς πίννης φύλαξ, ut Suidas, Hesychius, et Varinus tradunt, πιννοτήγης Chrylippo, ut Atheneus citat, ἀπὸ τῆς τηγέων ἡ φυλάσσειν τὴν πίννην, dicitur. Sunt autem, qui in ostreis reperiuntur, parvae fabae magitudine, toto corpore candidi, praeterquam, quod pronae crustae medium rubescat. In pinnis qui degunt, majores sunt et magis rubri, alioqui chelis, pedibus, toto denique corpore aliis similes. A Cancellis eo differunt, quod parvi cancri viventium pinna-  
rum et ostrearum hospites sint: Cancelli inanes duntaxat testas et turbinatas subeant, sintque longo corpore Locustis non Cancris simili.

*Generatio.* *De Generatione* non convenientiunt authores. Piscatores cum illis, quorum testis inhabitant, quasi ex eodem  
*Arist. H. A.* semine nasci tradunt, teste Aristotele. Apud eundem ista invenies verba. Pinnae quae petris aut saxorum ca-

vernus adhaeserint, radices agunt, illic Margaritam generant. Vivunt autem et nutriuntur per partem carnis haerentem. Hujus autem conchae oris adnascitur animalculum chelas habens, et cibum assumens, quod cancro parvo simile est, et vocatur Pinnophylax. Rondeletius cum saepissime Cancros parvos in Conchis et Ostreis ovis turgentibus viderit, ex Coitu maris et foeminae et ovis provenire affirmare audet. Ut ut sit, non possumus isti nisi in aliis procreari, ut nec vel viscum vel polypodium, nisi super aliis arboribus crescere.

*Mores.* Quae de eorum prudentia apud Plutarchum, Oppianum, et alios invenies, quod nempe pinnam regat, et de appropinquante praeda admoneat, fabulosa sunt. Decem Pinnas aperies, antequam unum pinnophylacem invenias.

*Victus.* Aqua tantum et luto eadem pa-  
scuntur, ut Mytili. Latere in eis crede, ut vitam fervent tutam, Molliore testa praediti, injuriis magis sunt obnoxii. Ideo et spongiarum cavernulis saxorum rimis, et in externis testarum quibus Ostrea tecta sunt ca-  
vis, saepissime Cancros parvos se re-  
periisse, Rondeletius affirmat.

PVN-

*Plut. de fo-  
lertia ani-  
mal.*

*Oppian.  
Hal. l. 2.*